DE USU QUORUNDAM INSTRUMENTORUM AD PARTUS JUVENDOS...

Gaetano Marchetti

Digitized by Google

DE USU
QUORUNDAM INSTRUMENTORUM
AD PARTUS JUVANDOS

SPECIMEN

QUOD AD SUMMOS IN MEDICINA HONORES

ADQUIRENDOS PROPONIT

CAJETANUS MARCHETTI

RUDIANENSIS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXX

PIA UNIONE MEDICIN. PARMAC. VERONA

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO . CLARISSIMO

JOHANNI . STOLFINI

DE . CHIRVRGICA . ET . OBSTETRICA

ARTE . OPTIME . MERITO . ETC.

HAS . PAGINAS

D. D. D.

AVCTOR

Digitized by Google

790

Digitized by Google

DE USU QUORUNDAM INSTRUMENTORUM AD PARTUM FAVENDUM, UBI NATURAE VIRES NON SUFFICIANT.

Partus plurimi per vires organismi solas haud perficiendi difficillime absolvuntur, et summo cum periculo, ni Chirurgus ad instrumentum confugere velit, quamvis inter foetum et pelvis partes debita proportio non desit. Huc partus illi omnes spectarent, qui ob abnormes materni organi actiones, seu propter foetus posituram improbam artis auxilium requirunt, et tum praesertim, cum ulterior mora detrimento notabili esset futura.

Usus eorundem instrumentorum praeterea omittenda omnino non est, cum vel pelvis forma peccet, vel caput, corpusve foetus monstruoso volumine, vel figura sit insigne. Hisce in circumstantiis, vel in embryonis corpus, vel in corpus genitricis operandum utique est, ut impedimenta tollantur illa, quae naturae organicae conatus valide elidunt. Partus hi omnes, qui instrumentorum ope absolvuntur, difficiles dicuntur, etiamsi interdum difficultas revera nulla Chirurgo se se offerat.

Digitized by Google

Recentiores aliqui appellationem hancce rejicientes, *mechanicos* hosce partus nuncupant.

Longum esset, nec hujus loci, instrumenta omnia quibus in huncce scopum usi sunt Chirurgi, enumerare et describere. Plura inventa sunt, nullius ferme utilitatis, imo perniciem potius afferentia: quapropter jure meritoque oblivioni tradita jam sunt, vel sunt tradenda.

Hinc de iis loquamur potissimum, quorum utilitas patet latius, eaque in duas classes dispescemur. Prima obtusa amplectitur in foetum dirigenda, altera acuta, quorum ope matris organa, foetumve ipsum ferimus, incidimus.

Quamquam a pluribus, et a cel. Stein ipso reputetur ante Sim. Rufum, qui a. 1550. vixit, neminem forcipe usum fuisse, attamen Annalia volventi obvia sunt vestigia de forcipe in Arabum operibus, quae tamen rudis erat forceps dentibus uncinatis donata, quibus caput frangere, lacerare consueverant. Inde in dies innumerae forcipum formae in medium prolatae sunt, ut vix modo determinari possit, qualis primigenia ejus fuerit figura. Nec revera hisce in rebus forcipe praesidium mechanicum utilius praesto est, quae juxta artis normas applicata foetum servat, nec genitricem laedit.

Forceps a Smellie delineata minoris est utilitatis quam illa Levreti, quae tamen si quibusdam credamus, non Smellie, sed Chamberlaino patri, si aliis, Palfino debetur.

De forcipis usu generatim.

Cranii massam in duas regiones dividimus, in partem superiorem seu fornicem, qui comprimi; in

Digitized by Google

partem inferiorem, seu basim, quae comprimi nequaquam potest.

Minor capitis diameter ab altero osse parietali ad alterum est poll. 3:½ ossis sphenoidei poll. 3, hinc fornix basin dimidio pollice excedit: cumque fornix comprimatur, basis autem compressionem haud admittat, fit, ut fornix producatur, contrahatur, baseos diametrum adipiscatur, sive ut ejus diametros 6, 7 poll. decrescere queat. Sunt tamen qui matris labores periculo plenos mitigare aventes, foetumque ab utero extrahere cupientes, a diametro eadem non dimidium tantum, sed integrum auferunt pollicem. At experientia comprobatum habemus, tanti illam diametrum imminui haud posse, vel si fiat, foetum certe vivum in lucem haud proditurum. Paucas forceps tantummodo lineas demit, hinc tum praecipuus ejus usus, cum parvum diametrorum discrimen.

Verum est quidem in partu retardato naturae relicto, diminutionem esse 6, 7 lin.; at forcipis cochlearia crassitiem exhibent 4 lin., et hisce ab illis deductis 2, 3 solummodo lineae remanebunt. Baudeloque 4 lin. per forcipem diametrum imminui arbitratur. Hos fines qui transcendat, foetui vel lethalem morbum, vel mortem ipsam subitam molitur: forceps enim quemadmodum jam monuimus, in basin non agit.

Nemo est hodie, artis principiorum haud imperitus, qui haecce nesciat: quae tamen ut luculentiora adpareant, ad Anatomen pedem parumper sistamus.

Invenimus modo cranium in duas dividi regiones, mollem alteram et flexilem, alteram vero solidam et rigidam. Harum proprietatum utilitatem sum-

Digitized by Google

794

mam percipimus, statim ac perpendamus per aliam volumen contrahi, per aliam vero cedere nesciam, foetus vitam sustineri. Ista enim rigiditas ni adesset, qui strangulatio medullae oblongatae per occipitis foramen transeuntis averteretur? Basis praeterea totum fornicem sustinet, ipsique debitam soliditatem impertitur.

Certe hacce in organorum distributione summum elucet consilium. Pars enim cavitatis superior portionem cerebri minus delicatam, minus momentosam continet: inferior vero cavitatis pars organa delicatissima, centrum vere systematis nervei, medullam oblongatam, principium nervorum omnium, uno verbo, ea omnia quae vitae hominis focum constituat, includit. Eodem passu quo caput, per varias pelvis provincias transit, fornix sensim sensimque in minus volumen redigitur, ejus latitudo cum baseos latitudine congruit, basisque tum conatus sustinet omnes. Id tum praesertim comprobatum videmus, cum caput in pelvi confixum (*inchiodato*) observetur: vixit enim similibus in circumstantiis diu foetus; nati sunt infantes, postquam per octo dies hoc pacto eorum caput fuerit constrictum.

Post amissas vero aquas si uterus vehementer contrahatur, foetus brevi perit. Ratio ea est: cum caput confixum est, impulsus in caput per baseos resistentiam eliditur, nec compressio evadit nimia. Idem vero non accidit si caput totum utero includatur: parietes enim undecumque in caput incumbunt, nec compressio nimia averti potest: unde summum in hujusmodi statu detrimentum.

Basis praeterea locum praestat, cui instrumenta diversi generis applicari queant, vectum ex. gr. spe-

Digitized by Google

cles variae, quorum ope partus, aliunde difficiles, imo difficillimi, faciliores evadant. Nullo profecto negotio perspicitur qualis futura esset pernicies, si cranii basis compressioni cederet.

Consilio igitur opus est summo in forcipis usu, brachia in altum sunt tollenda, ut solidam cranii faciem attingant. Ex hisce necessitas pariter elucet forcipi curvaturas varias impertiendi: si enim brachia ad aurium regionem applicata, curvata satis non sint, ut foetus caput amplectantur, illud vehementer contundent, oppriment: haecce fortasse causa est praecipua, vel ex praecipuis, per quam frequentissime foetui mors paratur. Sed ne in Charybdim incidamus, nimia quoque curvatura est evitanda. Thouret nimiam pariter forcipis latitudinem rejicit, in fenestras etiam invehitur, futiles censendo rationes, quae pro earum utilitate in medium feruntur.

De usu forcipis speciali.

Ad operationes, quae instrumenta postulant, partus potissimum difficiles, uti jam monuimus, pertinent; ubi praesertim caput in pelvi confixum haereat. Stringi potest caput in pelvis ore superiori, vel ore inferiori, vel etiam in media cavitate.

Quicumque tamen adsit casus, tumor in capitis integumentis percipitur: dumque foetus vivus haereat, crescit etiam sensim sensimque idem tumor.

Tumor ille capitis regionem Chirurgum investigantem celat, suturae enim absconduntur, nec harum positurae ignari scire possumus, quo tandem

Digitized by Google

296

modo caput configatur, nec accurate qua ratione sit operandum, ut felici conatu caput cum foetu extricetur. Attamen qui hisce in rebus probe peritus sit, exactam plerumque instituit diagnosin, et praesertim si doloribus silentibus inquirat, suturam detegere omni cura nitatur, digitumque explorantem ad capitis latera dirigat. Cum bene regionem capitis sibi oblatam noverit, facile, non neglecto tamen uteri statu, instrumentum immittet et operationem perficiet. Videat interea, ne id vigentibus doloribus tentet: gravius enim forceps introducitur, levius aliquid laceratur. Foetus autem dolore vigente extrahendus: facilius enim expellitur, nec mulier interea fortasse vivide percipit Chirurgum instrumentorum ope operari. Quies tamen longior sit singulo tentamine, quod minuti primi spatium numquam excedat.

Caput potest in pelvis ingressu superiori configi, ejusque vel axem transversum, vel diagonalem occupare. Facies tamen etiam etc. offerri Chirurgo potest. Ante Pudecomb. qui saeculi elapsi medio floruit, nemo ausus est unquam huc adscendere. Smellie ipsum secutus est, ipsiusque forcipem prolongari curavit. Flamant, Gardien, celebres nostra in arte viri, illius vestigiis pariter incesserunt, foetusque conversioni methodum hancce praetulere. Non desunt tamen qui hanc operandi rationem rejiciant omnino, imo contendant exitum felicem nunquam habuisse: aegerrime enim caput illic locatum per instrumentum stringit: hinc potius ad conversionem confugiendum. Quod si vero forceps applicanda sit, illud imprimis quaerendum est capitis latus, quod pelvi laxius incumbat.

Digitized by Google

Capitis paracentesis.

Cum pelvis diametros a pube ad sacri promontorium tres poll. haud excedat, notavimus jam, forcipem, nec non foetus conversionem prorsus esse inutiles. Forceps enim gravissime matris organa contunderet, laceraret; per conversionem autem truncus a capite facile avellitur. Hisce in rerum circumstantiis, uti Smellie animadvertit, foetus etiam in pelvis parte inferiori interire potest, inter ischii tubera. Hinc concludere liceat, si parva pelvis diametros 2, vel 2:½ pollicum sit, foetum vero volumine insignem, forcipem nequaquam adplicari debere; nec foetum per pelvis spatium vivum extrahi posse. Quae opinio magistrorum est artis omnium.

Hisce in casibus ut matris vitae, foetusque incolumitati prospiceretur, operatio caesarea, et symphysiotomia in usum sunt vocata; et fuere qui operationem quamcumque aliam omnino damnarent.

Altera vero operatio periculi plena est quam maxime, altera vero, nempe symphysiotomia plerumque non sufficit. Saepe mulier ab illa abhorret, vel maritus ut instituatur, neutiquam sinit. Si caput in pelvi fortiter confixum, jure creditum est nec per operationem caesaream, vel saltem summa cum difficultate, extricari posse. Hinc ad cranii paracentesin, aliam viam non videntes, plurimi recurrerunt; imo Thouret contendit, si foetus per pelvis improbam formam extrahi nequeat, ad paracentesin, etiamsi vivus existat foetus, confugiendum. Ante omnia tamen prudens Chirurgus instrumenta tentet innocua, nec, nisi hisce frustra adhibitis, graviora vocet in usum.

Digitized by Google

Hydrocephalum adesse non difficulter concludimus. Id exploratoria manu plerumque innotescit; aut si truncus jam avulsus, sit hydrothorax, ascites ut plurimum conspicitur.

Pars cranii quaecunque perforari potest. Si tamen eligendi copia Chirurgo detur, auctores sunt cel. viri, ut sinciput, vel occiput praeprimis apto instrumento adgrediatur.

Smellie cerebro extracto uncinorum ope posituram dabat cranio illam, per quam facilius expelli possit. Obliquae pelvis diametro illud adcommodabat, vel si liceret, sursum caput pellebat, ut utilis fieret conversio.

Sciant juvenes in operatione lento passu esse incedendum. Fingatis, inquiebat Wilh. Hunter discipulis suis, fingatis foeminam dormire. Et revera qui citus incedit, naturae vestigia non sequitur, quae sensim sensimque phaenomena sua perficit. Ad rem illud: sat cito, si sat bene.

De capite, seu trunco post truncum, seu caput avulsum, in utero relicto.

Innuimus jam, peracta conversione, si foetus caput extrahi non potest, numquam esse truncum a capite avellendum: quamvis Smellie id moneret ut fieret, ut inde caput ipsum repelleretur, moveretur, ut optime diametris pelvis adcommodaretur, et inde per uteri vires ejiceretur. Notanda enim est difficultas non levis in repellendo capite, etsi a trunco avulso: uteri enim conditio fortissimo est impedimento.

Digitized by Google

Hisce in casibus foetus huc illiuc volvendus, donec optima inveniatur positura. Adoriatur inde Chirurgus caput uncinis, forcipe, cultro, etc.

Quod si Chirurgus accersatur ad foeminam, in cujus utero caput solum lateat, coeteris antea extractis, mora fugienda est omnis, et attente in omnia inquirendum.

Sunt qui rem naturae relinquant; alii magis solliciti uterum arte liberari oportere reputant. Si spasmodici adsint insultus, ut sedentur, erit expectandum.

Si caput a prima vertebra est divisum, non desunt casus, ubi foeminae post paucos dies illud expellerent.

Sic paulatim uterus contrahitur: at collum et orificium nequeunt contrahi, antequam obstaculum tollatur, per quod referata patent.

Trunco avulso uterus clauditur; et dum clauditur, movet subinde caput, et sursum tollit; at uterus modo regulari ratione contrahitur, caputque expellit.

Periculum vero tum habemus, cum capiti vertebrae adhaereant. Si sursum feratur, si uterus in vertebras eat, nil facilius quam vulnera per ejusmodi ossa in carnosam substantiam insculpantur.

Si vero id jam factum sit, Chirurgus rerum statum probe indaget, videat an laborandum manu sit, ut uterus aperiatur, necne; observet an phlogosis adsit, an sanguis multus sit deperditus, an alia majora etiam detrimenta adpareant. Omnibus rite perpensis, videat an solus ad rem sufficiat: nec, auxilium si opus sit, illud contemnat.

Si operandum est, si caput a vertebris separatum; medium digitum in foramem occipitis introducat, di-

Digitized by Google

gitos continguos ad latera ferat, pollicem in os imittet, volvet caput etc. Si maxilla inferior sit abrepta, uncinus ad frontem dirigat. Manus ventri foeminae sinistra adplicetur. Interdum etiam hujus manus digiti in forum occipitis, illius in os mittuntur. Quod si caput hoc pacto occupare non possumus, si in utero condatur, nisi placenta obstet, Levreti instrumento capita trahenti uti possemus. Sin autem placenta obstet, efferatur ipsa prius; caute tamen agendum ne gravissima oriatur haemorrhagia, difficillime sistenda.

Si vertebrae adsint, divellantur, ut formam occipitis compareat.

Si caput nimio volumine insigne sese monstret, cerebro prius extracto, cranii basin per Assalini comprimens instrumentum Chirurgus adoriatur.

Si truncus in utero restet, cum humeris in pelvi confixus etc., ante omnia conversio tentanda, seu, si id non prosit, forcipe, uncinis etc. tractandus.

Si Hydrocephalus obvius sit, quod raro contigit, ad paracentesim erit confugiendum.

Descriptio instrumentorum, quorum in partu praecipuus usus.

Vectis. Creditur detectam esse a Roonhuysen, Belga. Nemo, quoad memoriae proditum est, ante Sim. Rufum in usum vocavit.

Forceps Smellie minus est utilis, quam illa Levreti. Inventa est secundum plurimos non a Smellie, sed a Chamberlaino. Innotuit Smellie anno 1737.

Ad primam classem spectant: ligamina (*lacci*), vectis, uncini obtusi, forceps.

Digitized by Google

Ad altefam uncini acuti, instrumentum perforans Smellie, cultri, etc.

Ligamina applicantur manibus, pedibus, ad genua etc.

Vectis applicatur occipiti. Camper maxillae eamdem applicari proposuit; Fitieng et Herbitiaux regioni temporum.

Vectis Gallorum a brachio forcipis Palfyni haud dissimilis. Posituras quasdam capitis aberrantes corrigit, quae transitum per pelvim impediunt.

Forceps sec. Stein aliosque primum a Ruf in medium allata. Prius etiam Arabibus notam fuisse videtur, sed rudiori sub forma.

Optimas a Boerio hodie reputatur inventas, quae etiam in Clin. nostro instituto reliquis praefertur.

Digitized by Google

802

THESES

I.

Botanice eodem pacto ac Medicina Anatomen, Physiologiam, Pathologiam, Therapiam respectu plantarum complectitur.

II.

Substantiae simplices quae cum oxygene, seu hydrogene Acida efformant, bases generatim haud Chemico offerunt, et vicissim.

III.

Phlebotomia non solum sanguinis quantitatem imminuit, sed et ejusce indolem alterat.

IV.

Medicamen quodcumque vi agit propria, alio pacto ac aliud quodcumque remedium.

V.

Conditio pathologica in organo qui morbo afficitur, existit.

Digitized by Google

Digitized by Google